



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quis poßit illam ferre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

nem ostendimus ex variis iuribus, quæ de hac re lo-
quuntur: eamque ita grauem esse declarauimus, vt
in illa etiam materia saepe obliget sub mortali:
quamuis in singulis actionibus humanæ, & politicæ
communicationis, regulariter loquendo, & secluso
contemptu solum obliget sub veniali. De poena vero
certum est ibi non interuenire aliam censuram,
præter excommunicationem minorem loquendo
de censura ipso iure lata: nam ab homine interdum
extenditur excommunicatio maior ad communi-
cantes cum excommunicato, in hoc genere com-
municationis: illa vero ferri non potest per senten-
tiam generalem, sed per specialem in determina-
tam personam, trinaque monitione præmissa: & a-
liter lata huiusmodi excommunicatio nulla existit, B
iuxta cap. Statuimus, de Sententia excommuni-
cationis, in 6. Et hætenus de effectibus excommuni-
cationis.

DISPUTATIO XVIII.

De causis maioris excommunicationis.

Materia hæc in superiori tractatu
de Censuris in communi co-
piose disputata est, & fere om-
nia, quæ diximus, maxime in
excommunicatione locum habent: ideo-
que solum necesse est breuissime collige-
re, quæ ad hanc censuram pertineant, & si
quid speciale superest, illud addere. Et ean-
dem rationem, quamuis de singulis causis
propriis disputationes supra instituerimus
in præsentī hac vnica omnes comprehen-
demus.

SECTIO I.

Quis possit excommunicationis censuram ferre.

Diximus in superioribus, duplicem esse
excommunicationem; à iure scilicet,
& ab homine: quæ diuisio ab efficien-
tibus causis sumpta est: duplex ergo est
causa efficiens excommunicationis;
scilicet ius, & homo: vel certe quia hoc ius non est
diuinum, sed humanum tantum Ecclesiasticum: ideo
simpliciter dici potest homo Ecclesiasticus, seu
potestatem habens Ecclesiasticam, causa efficiens
huius censuræ. Duobus tamen modis, scilicet vel fe-
rendo ius, vel ferendo sententiam vel in generali,
vel in speciali hanc poenam continentem. Vnde fit,
potestatem Ecclesiasticam proxime, ac per se neces-
sariam ad excommunicationem ferendam esse po-
testatem iurisdictionis Ecclesiastici fori contentio-
si. Nam hæc est proximum, ac per se principium ius
dicendi siue per leges, siue per sententiam, quamuis
non æqualis ad vtrumque modum: sed altior, &
maior iurisdiclio ad leges condendas, & consequen-
ter ad excommunicationem à iure ferendam, quam
ab homine, necessaria sit. Potestas autem ordinis per
se ad hunc actum non requiritur, quamuis iuxta ra-
tionabilem Ecclesiæ consuetudinem institutioni
Christi, & rerum naturis consentaneam, nunquam
illa iurisdiclio sine aliquo ordinis fundamento, vel
initio concedatur. Quæ omnia in superioribus tra-
ctata, & explicata sunt, & in eis conueniunt Theo-
logi in quarto, distinctione decima octaua, & Cano-
niste in cap. Cum ab Ecclesiæ, de officio ordinari-
& cap. Transmissam, de Elect. cum similibus, Na-
Fr. Suarez tom. 5.

A uarrus referens alios in cap. Cum contingat, de Re. Nauarr.
script. in 2. caus. nullit. nu. 27.

Circa ius, quatenus est causa huius censuræ, so-
lum occurrebat hic addendum, quæ sint illa specia-
lia iura, in quibus talis censura ipso facto contra-
henda fertur: nam cætera, quæ de hac causa in com-
muni sumpta, & de verbis necessariis ad hunc effe-
ctum, desiderari possunt, in disputatione 3. sectione
2. dicta sunt. Verumtamen ne hanc causarum ex-
communicationis tractationem, & cognitionem
obscuram, & prolixam reddamus, commodius erit
post consummatam doctrinam de excommuni-
catione maiori, omnes excommunicationes iure ipso
latas recensere, easque breuiter explicare.

De excommunicatione ab homine.

Circa excommunicationem ab homine præter
ea, quæ diximus de censura in communi, quæ
hic applicanda sunt, duo tantum addenda occur-
runt: primum est, an Parochi habeant aliquando
potestatem excommunicandi saltem pro aliquibus
delictis: nam quidam Doctores hoc eis tribuere vi-
dentur, vt patet ex Diuo Thoma in 4. distinctione
18. quæ. 2. art. 2. quæst. 1. quam refert & sequitur Syl-
vester, Excommunicatio, 1. numero 5. vbi ait, ex offi-
cio tantum Episcopos hoc posse, tamen in furto, &
rapina, & similibus casibus à iure concessis, etiam
Parochos habere hæc potestatem quasi delegatam,
& ex commissione. Addit præterea Sylvester ex Ho-
stiensis, etiam in notoriis, quæ non indigent inquisi-
tione vlla, posse Parochos excommunicare. Imo
Glossa in cap. 29. quæst. 1. & in §. Hæc, post cap. Mira-
mur, vers. Cum ergo, 2. 4. quæstion. 1. dicit, quemlibet
Sacerdotem posse excommunicare. Sed hoc impro-
babile est: & illud etiam de Parochis est mihi incer-
tum, quia non inuenio ordinarium ius, vel scriptum
priuilegium, in quo fundatum sit. Nam cap. Cum
inhibito, §. Sane, quod citari solet, nihil probat, quia
ibi solum habetur, ad Parochi munus pertinere, De clande-
stina de-
prohibere clandestina matrimonia: quod autem id
sponsas.
possit sub hac censura prohibere, ibi non dicitur.

Quapropter generaliter statuendum est, parochos
non posse excommunicare, sed tantum Episcopos
iure quasi proprio. Quæ est communis sententia
cum Glossa in cap. Nemo, 2. qu. 1. tener Abbas in cap. Glossa,
Si Sacerdos, 2. de offic. ordinari. num. 10. & cap. Si quis
contra Clericum, num. 51. & ca. Cum contingat, num. 3. Nauarr.
de Foro competent. Nauarrus in cap. Cum contin-
gat, de Rescript. Soto in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1. Quod
tamen extendendum est ad eos, qui iurisdictionem
Episcopalem participant ex speciali institutione,
aut priuilegio, vel etiam consuetudine. Quo solo ti-
tulo poterunt excipi aliqui Parochi, si alicubi sit
consuetudo, vt in aliquibus casibus possint excom-
municare, vt notauit Abbas in cap. 3. de offic. ordi-
narij numero decimo, nam consuetudo interdum
dat iurisdictionem, vt in superioribus tractatum
est. Illa vero seclusa, Parochi non habent iurisdic-
tionem in foro contentioso, neque in causa aliqua
iudicium ferre possunt: ergo nec sententiam ex-
communicationis.

Aliud punctum tractandum est de Episcopis, quo-
modo possint sententiam excommunicationis fer-
re, quæ completum habeat effectum. Et est ratio
dubij, tum ex parte excommunicati, tum ex parte a-
liorum fidelium. Ex priori quidem capite, quia ex-
communicatus vbique terrarum tenetur abstinere
ab omni fidelium communicatione, & à Sacramen-
torum, & aliorum diuinorum participatione; Epi-
scopus autem particularis non potest ferre legem,
que obliget subditos, qui extra suam diocesim ver-
santur: multo minus potest ferre legem, quæ ob-
liget subditam, etiam si domicilium mater: cum ta-
mea

Bb

mea

Posterior
sententia.

men censura semper liget, donec per absolutionem tollatur, quantumvis aliquis domicilium mutet. Nec minor est difficultas ex alio capite, quia excommunicatio obligat fideles omnes ad vitandum ipsum excommunicatum: præceptum autem particularis Episcopi non potest universos fideles obligare. Et confirmatur: nam Episcopus non potest concedere indulgentias subditis alterius Episcopi in eius diocesi: ergo nec potest illos obligare ad vitandum excommunicatum à se extra diocesim suam.

Prior
sententia.

Propter has difficultates, præsertim propter secundam, Doctores in sententias extreme contrarias abierunt: Prior est, fideles diuino iure teneri ad vitandum quemcumque excommunicatum, hoc ipso quod excommunicatus est: qui à fortiori dicentidem de ipso excommunicato: nam maior est obligatio excommunicati ad vitandos alios, quam aliorum ad vitandum ipsum. Quam sententiam fundant in verbis illis Matth. 18. *Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*: & in ipsa natura excommunicationis, quæ est præcisio quædam membri à corpore Ecclesiæ: ex qua præcisio ex natura rei sequitur, ut non sit communicatio inter tale membrum, & corpus, seu alia membra corporis: sicut per analogiam ad membrum abscissum à corpore humano facile declarari potest. Quæ sententia supposita facilius respondet ad difficultates positas, Episcopum, vel quemlibet alium Iudicem particularem imponere censuram excommunicationis, qua imposita, iure ipso diuino resultant omnes obligationes prædictæ: & ideo optime fieri posse, ut talis obligatio extra territorium, & ultra subditos ferentes excommunicationem extendatur.

Reiicitur.

Hæc vero sententia aut falsa est, aut ad rem præsentem explicandam nihil deseruit. Declaratur: nam vel intelligit ius ipsum diuinum immediate obligare ad vitandum excommunicatum. Et hoc est falsum, ut in principio huius materiæ, & de censuris in communi ostensum est, & ex dictis de effectibus excommunicationis est manifestum: nam vidimus Ecclesiam minui, & ampliare hanc prohibitionem, & personas aliquas ab illa eximere: quæ omnia ostendunt eam immediate manare ab Ecclesiastico præcepto. Si vero intelligatur solum mediate, & remote oriri ex diuino iure illam obligationem, sic verum quidem assumitur; tamen id nihil deseruit ad expediendas difficultates positas. Probatur: quia illa radicalis, seu mediata obligatio iuris diuini supponit Ecclesiasticum præceptum: nam in hoc consistit, quod ipsum ius diuinum dicat parendum esse Ecclesiæ, & abstinendum esse ab illis, à quibus ipsa præcipit abstinere: hunc enim sensum habent verba illa Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*. Et hoc modo dici potest excommunicatio obligare ex natura sua: quia natura eius nihil aliud est, quam quædam moralis prohibitio, seu prohibitionum collectio: ergo illa iuris diuini obligatio nota supponit Ecclesiasticum præceptum validum, & cum iurisdictione latum: ergo supponit id, quod inquirimus, neque explicat difficultatem tactam, quo modo scilicet præceptum priuati Episcopi tale sit, ut obliget omnes fideles ad parendum illi.

Posterior
sententia.

Scotus.
Improbatur.

Alij ergo dixerunt, Episcopos particulares non posse iure suo, & quasi potestate ordinaria excommunicationem ferre, quæ obliget omnes fideles ad vitandum excommunicatum, sed solum suos subditos: nunc autem id facere Episcopos ex commisso, & tanquam delegatos Summi Pontificis. Ita sentit Scotus in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. Verum tamē hæc sententia non est consentanea sacris canonibus sunt enim multi, in quibus docetur, excommunicationem ferre eo modo, quo nunc in Ecclesia fertur, ad munus Episcopi iure, & officio ordinario pertinere, ut patet ex cap. *Cum ab Ecclesiis*, de offic.

A ordinari. & cap. *Transmissam*, de elect. & c. *Corrupti*, sur. 24. quæst. 2. & in multis aliis. quæst. 3. Et ratione probatur: quia Episcopi iure diuino sunt Principes & Pastores perfecti in suo ordine suarum Ecclesiarum: ergo ex vi sui muneris requirunt potestatem ligandi, ac soluendi, tum directiuam, tum etiam coerciuam spiritualem, quantum necesse est ad conueniens Ecclesiæ suæ regimen: huiusmodi autem est potestas hæc excommunicandi, ut supra vidimus, & fundauimus in verbis Christi Matth. 18. Et ibi etiam declarauimus, quomodo hæc potestas ex vi sui muneris iure diuino debeat Episcopis, quamuis immediate per hominem, id est, per Summum Pontificem concedatur.

B Vera ergo responsio est facilis, si aduertamus aliud esse agere de auctoritate excommunicationis quoad institutionem eius: aliud de effectione, seu impositione ipsius excommunicationis in tali persona, seu subiecto. Si loquamur priori modo, clarum est, nullum Episcopum sua priuata, & particulari iurisdictione potuisse tale genus censuræ instituire, quæ ita obliget, sicut nunc obligat excommunicatio, ut difficultas tacta sufficiens probat. Vnde qui in contrario sensu dicunt, Episcopos, stando in solo iure diuino, & nulla interueniente Ecclesiæ institutione, posse eodem modo excommunicare, quo nunc excommunicant, & obligant, mihi sine probabilitate loqui videntur: quia hoc genus pænæ, & censuræ eo modo, quo nunc est in usu, non est sine Ecclesiæ institutione, ut in superioribus late ostensum est. Neque ex iurisdictione Episcoporum, neque ex aliquo principio iuris diuini colligi potest, quod sit talis potestas in aliquo particulari Episcopo. Nam quod Christus Dominus dixit Matth. 18. *Dis Ecclesiæ & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*: intelligendum est secundum modum ab Ecclesiâ præscribendum, ut supra declaratum est: & hoc satis est ad conueniens Ecclesiæ regimen, & ad contumaces corrigendos. Et declarat exemplo, nam licet Episcopus aliquis nunc vellet statutum, aut sententiam generalem ferre sub censura excommunicationis, quæ obligaret alios ad vitandum excommunicatum ante denunciationem, non posset id facere, cum tamen ante Concilium Constantense id posset. Cuius ratio non est alia, nisi quia Ecclesiâ prius statuerat talem modum censuræ: nunc autem limitauit, & ex parte mutauit institutionem: ergo signum est non esse datum Episcopis iure diuino, ut possint ferre censuram, prout voluerint, nec ut obligent homines nisi iuxta modum, & institutionem censuræ ab Ecclesiâ factam. At loquendo de effectione censuræ iam ab Ecclesiâ institutæ, sic potest Episcopus talem censuram imponere, quæ obliget omnes iuxta naturam, seu institutionem talis censuræ. Quod clarius constabit respondendo ad singulas partes difficultatis propositæ.

C Circa priorem ergo partem agere possumus de subdito Episcopi extra territorium existente, vel antequam illum per censuram liget, ut postquam iam ligatus est. Prior consideratio ad rem præsentem non spectat, sed de illa videri possunt superius tractata de censuris in communi, ubi disputauimus an per statutum generale possit Episcopus excommunicare subditum extra territorium suum contra statutum delinquentem: & an idem sit de sententia generali, item de speciali propter delictum extra territorium commissum, vel intra territorium, si post delictum extra vagetur: nam quæ ibi diximus, eodem modo procedunt de excommunicatione. Postquam vero excommunicatio imposita est, parum refert an subditus extra territorium vagetur, necne: quia quocumque tendat, secum excommunicationem deferret, quia illi quasi inest. Et ideo dicitur Iuriste, quod excommunicatio sequitur excommu-

nicatorum, & cap. *Transmissam*, de elect. & c. *Corrupti*, sur. 24. quæst. 2. & in multis aliis. quæst. 3. Et ratione probatur: quia Episcopi iure diuino sunt Principes & Pastores perfecti in suo ordine suarum Ecclesiarum: ergo ex vi sui muneris requirunt potestatem ligandi, ac soluendi, tum directiuam, tum etiam coerciuam spiritualem, quantum necesse est ad conueniens Ecclesiæ suæ regimen: huiusmodi autem est potestas hæc excommunicandi, ut supra vidimus, & fundauimus in verbis Christi Matth. 18. Et ibi etiam declarauimus, quomodo hæc potestas ex vi sui muneris iure diuino debeat Episcopis, quamuis immediate per hominem, id est, per Summum Pontificem concedatur.

Vnde qui in contrario sensu dicunt, Episcopos, stando in solo iure diuino, & nulla interueniente Ecclesiæ institutione, posse eodem modo excommunicare, quo nunc excommunicant, & obligant, mihi sine probabilitate loqui videntur: quia hoc genus pænæ, & censuræ eo modo, quo nunc est in usu, non est sine Ecclesiæ institutione, ut in superioribus late ostensum est. Neque ex iurisdictione Episcoporum, neque ex aliquo principio iuris diuini colligi potest, quod sit talis potestas in aliquo particulari Episcopo. Nam quod Christus Dominus dixit Matth. 18. *Dis Ecclesiæ & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*: intelligendum est secundum modum ab Ecclesiâ præscribendum, ut supra declaratum est: & hoc satis est ad conueniens Ecclesiæ regimen, & ad contumaces corrigendos. Et declarat exemplo, nam licet Episcopus aliquis nunc vellet statutum, aut sententiam generalem ferre sub censura excommunicationis, quæ obligaret alios ad vitandum excommunicatum ante denunciationem, non posset id facere, cum tamen ante Concilium Constantense id posset. Cuius ratio non est alia, nisi quia Ecclesiâ prius statuerat talem modum censuræ: nunc autem limitauit, & ex parte mutauit institutionem: ergo signum est non esse datum Episcopis iure diuino, ut possint ferre censuram, prout voluerint, nec ut obligent homines nisi iuxta modum, & institutionem censuræ ab Ecclesiâ factam. At loquendo de effectione censuræ iam ab Ecclesiâ institutæ, sic potest Episcopus talem censuram imponere, quæ obliget omnes iuxta naturam, seu institutionem talis censuræ. Quod clarius constabit respondendo ad singulas partes difficultatis propositæ.

nicatum, vt lepra leprosum. Quo fit, vt quantum ad ipsum spectat, quocunque tendat, eisdem excommunicationis effectus patiantur: nam hæc est vis & efficacia, quam excommunicatio ex vi suæ institutionis habet. Vnde vt omitamus questionem illam an præceptum proprii Episcopi obliget subditum, quando extra territorium eius versatur: de qua re non nihil diximus supra, in præsentem non est dubium, quin per censuram hoc modo obliget propter rationem factam. Et ob eandem non liberabitur ab eodem onere, etiam si mutet domicilium: quia per hoc solum non liberatur à censura: & quia quantum ad illam particularem causam propter inchoatum in ea iudicium, factus est speciali modo subiectus excommunicanti, vt supra etiam tergitimus.

Simili modo expedienda est altera pars difficultatis, vt recte notauit Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. Cum enim excommunicatio duret, vbicunque excommunicatus versetur, vbique habet suos effectus natura sua institutioni consentaneos, inter quos vnus est, vt omnes fideles obliget ad vitandum excommunicatum tanquam alienum, & ab Ecclesia præsum. Hæc autem excommunicationis institutio ex Ecclesiæ traditione, & decretis manifestata est, vt patet ex multis canonibus Apostolorum, & ex Concilio Niceno can. 5. & ex cap. Si quis à proprio, & cap. Cursus sit, & cap. Sicut Apostoli, cum aliis 11. quæst. 3. & in cap. 1. de Raptoribus & cap. 3. §. 1. de Priuilegiis cum similibus. Quibus locis id notant Doctores, & videri etiam potest Couarruias in capit. Almus, part. 3. num. 2. Cætera de hac causa, circa censuram in communi dicta sunt.

SECTIO II.

Quis possit excommunicari.



Explicita causa efficiendi, vt explicanda est quasi subiectiua, quæ cum illa habet correlationem, seu respectum inferioris, seu subiecti ad superiorem. De qua re multa diximus disputatione quinta de censuris in communi, quæ in excommunicatione locum habent. Itaque ex ibi dictis constat, subiectum capax excommunicationis esse hominem viatorem, & viuentem hac vita mortali, adultum, & baptizatum, & qui in terris Superiorem habeat, seu alteri subiectus sit: quæ omnes conditiones ibi sunt declaratae, & consequenter expostam est, quo modo excommunicatio, vel absolutio eius ferri possit in defunctum. Item quo modo feratur in personam certam, possitque in eandem multoties ferri, seu multiplicari. Ac denique quis censendus sit subditus, vel subiectus sufficienter ad incurrendam censuram, præsertim generatim latam. Hic ergo duo tantum super sunt aduertenda, quæ sunt excommunicationis propria.

Primum est, excommunicationem ferri non posse in communitatem: ideoque eum, qui excommunicatur, semper esse debere personam aliquam singularem. Ita statuitur in cap. Romana, §. In Vniuersitatem, de Sententia excommunicationis in 6. Cuius constitutionis rationem merito aliquis inquirat: nam Vniuersitas vt sic, id est Collegium, seu Capitulum grauiter delinquere potest, ergo & puniri, vel per disciplinam Ecclesiasticam corrigi; id eoq; alia censuræ in communitatem feruntur: ergo etiam per excommunicationem corrigi potest. Hæc rem late tractat. Couarruias libro secundo, Variar. cap. 8. numer. 9. Nauarrus cap. 27. num. 16. Vt tamen breuiter rationem explicem, aduerto duobus modis posse censuram aliquam in communitatem ferri. Primo in solam communitatem, vt commu-

nitatis est, id est, quatenus est vnum corpus politicum, ita vt non descendat ad singulas personas secundum se; sed solum illas comprehendat, quatenus vnum corpus constituunt, quo modo ferri solet suspensio in communitatem. Alio modo potest ferri censura in communitatem ratione singularem personarum, ita tamen vt non feratur censura in personas certas, seu determinatas, sed communiter, seu confuse in omnes homines huius ciuitatis, vel regni: quo modo ferri solet interdictum in communitatem, vt infra videbimus. Vt ergo modo prohibitum est collegium, aut Capitulum excommunicare: nam dictum cap. Romana, simpliciter id prohibet; ergo prohibet quocunque modo fiat. Et ita intelligitur ab hominibus, & merito, tunc quia absoluta legis verba non sunt limitanda, nisi necessitas urgeat, vel ex alio iure, vel ex euidente ratione: tum etiam quia illa lex quoad illam partem fauorabilis est, & ideo amplianda: tum denique quia in fine illius textus subditur. Sed in illos duntaxat de Collegio, & Vniuersitate, &c. quæ dictio exclusiua omnem alium modum interdicat.

Ratio autem pro priori parte reddi potest; quia bona, quibus principaliter priuat excommunicatio, personalia sunt, seu ad singulas personas pertinentia, quia sunt spiritualia, & similiter communicatio, & actus, quos interdicat excommunicatio, personales sunt, regulariter loquendo. Alioquin enim sunt actus iurisdictionis, quos tollit etiam excommunicatio, eosque potest interdum communitas exercere: tamen hi sufficienter prohibentur per suspensionem, nec propter illos solos est necessaria excommunicatio. Propter hanc ergo causam non fertur excommunicatio in communitatem priori modo considerata. Et hoc est, quod ex sententia Doctorum Iuris Pontificij refert Couarruias, communitatem scilicet non esse vnum corpus verum, sed fictum, neque habere vnā animam rationalem communem; & ideo non esse capax excommunicationis: hoc enim est verum de communitate primo modo spectata. Ratio autem posterioris partis, quæ etiam extendi potest ad priorem, & ideo in illo textu generaliter assignatur, est, quia censura, quæ illo modo fertur in communitatem, omnes eius personas complectitur, etiam si non deliquerint: hoc autem excommunicationi repugnat: ergo. Maior patet tum exemplo interdicti, tum ratione: si enim tantum personas delinquentes comprehenderet, iam non ferretur in communitatem, sed in eos, qui tale delictum commiserunt: quod est ferri in singulas personas, non in communitatem. Minor vero constat ex cap. Nemo, cum aliis 11. qu. 3. Et hanc rationem tergit ibi Pontifex, dicens: Cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irritari: pro certo supponens, illud esse magnum absurdum. Quod latius declarauit Augustinus epist. 75. cap. Si habes, 24. quæst. 3. & ex dicendis sectione sequenti latius constabit.

Secundum notandum est in hac censura excommunicationis speciale esse, vt per eam generaliter latam ligari possint non tantum laici omnes, & Clerici inferiores, sed etiam Episcopi, & quilibet Prælati illis superiores infra Summum Pontificem, dummodo author canonis, & sententiæ illis superior sit, & verba sint adeo vniuersalia, vt eas comprehendant. Ratio est, quia secundum commune ius omnes hæc personæ sunt capaces huius censuræ, vt passim ex iure constat, satisque ostensum est agendo de censuris in communi: verba autem legis, si generalia sint, omnes subditos comprehendunt, tam quoad obligationem, quam quoad penam, si sint capaces eius, & alio iure, vel priuilegio non excipiantur: quia hæc est vis generalium verborum. In præsentem autem nullum est ius, aut priuilegium, quo excipiantur Episcopi, aut quicunque alij Præ-

³ Ratione sua detur assertio.

⁴ Excom. natio per verba communitate lata omnes infra Pontificem comprehendit.